



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

**Romae, 1658**

Fr. Benedictus Roccus Episcopus Nuscanus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9857**

## Franciscus Cribarius Episcopus

### Nicotereñ.

**D**ignum censeo Beatum Antistitem de Villanoua, qui Sanctorum factis adscribatur, propter eius præclara gesta, quæ etiam à teneris annis perfectam redoluerunt Sanctitatem, mirificauit enim eum Dominus præcipue in hospitalitate, qui, ut abundantius diuitias Cælo conderet, alienam inopiam suam credidit, docens, facilius nos, per manus pauperum ad Cælestia Regna peruenire.

## Fr. Benedictus Roccius Episcopus

### Nuscanus.

**S**anctissime Pater. Beatum Thomam de Villanoua Ordinis Augustiniani decus, Episcoporum gloriam præmio Sanctorum iam fruentem in Cælis, ob vitam Sanctissime actam in Terris, titulo Sanctitatis dignum censeo.

## Vincentius Reuigionus Episcopus

### Bouinensis.

**B**eatum Thomam de Villanoua solemnè Ritu Cœlitum numero adscribi, Beatissime Pater, iustissimum arbitror, quem omnium virtutum suffragia, mortalium numero exemptum, viuum adhuc Cælo asseruerunt. Verum enim planè Cœlestem illum extitisse, necesse est, cui perpetuis suis ieiunijs, pauperum famem alenti omni naturæ prauitate coercita, pro alimento fuit illibatæ sapor integritatis, pro anima Sanctitas, pro vita Deus. Nullius igitur S. V. dubitandi superest locus, an illum addat albo Diuorum, qui, suis moribus, de se ipso, sententiam pronunciauit, quam Cælum se approbare nos docuit, cum aut paralyti detentis, aut feбри, aut multiplici morbo lecto defixis, vitam reddidit, & pedum officium, ut Thomæ Sanctitatem miraculis testaretur.